AD ILL.MUM, ET REU.MUM PRINCIPEM ET DOMINUM ATQUE DOMINUM MEUM...

Manoel Constantino

Digitized by Google

ILLVST.^MO^ PRINCIPI
BERNARDO CARDINALI DE SANDOVAL
ARCHIEPISCOPO TOLETANO

EMANVEL CONSTANTINVS EIVS SERVVS.

S. P. D.

EX *omnibus rebus humanis, Illuſtriſſ. Princeps, cũ nihil ſit litteris, doctrinaq; præſtantius, ſeqtur, vt litterato* Principe *laudabilius nihil eſſe videatur. Non enim*; Si *quis humili fortuna ſcientijs animum excoluerit; quãuis omnium virtutum intelligentia ſit ornatus, æque tamen eas virtutes exercere poterit, vt ſummo loco natus. omnium eſt ſcire; non omnium tamen agere, non cadit in quemuis adminiſtratio iuſtitiæ, non liberalitatis.* E*ſſe oportet, quibus imperes, vt iuſtitiã colere poßis: eſſe: quod des: vt liberalitatẽ, &, quoniam ad hæc primum a natura formamur & fingimur: vt, quæ laudabilia ſunt noſtra ſponte diligamus; deinde præceptis inſtituimur, vt voluntatem ratio confirmet: vtrumq;: ſi quis habet, veriſſimis laudibus ornatur; eo magis; ſi is eſt, cui tertium etiã illud contigerit; vt fortunæ commodis abundet. Tua hæc eſt;*

Illuſtriſſ. Princeps præſtantiſſima, tua inquam hæc maxime laus eſt; cui ſummã iuuandi generis humani voluntatem decus tribuit; & nũc eximiam ad laudem vocat occaſio; ſuſcipe deſertum pæne ab omnibus litterarũ patrocinium; collige tu, quæ alij diſsipant: omnium laudandarum doctrinarũ ſtudia; & reſtitue nobis illa, quæ vel hominum improbitas, vel, vt alio culpa deriuetur: fortunæ vis eripuit, hæc eſt actio, digna Cardinali, digna Principe, Bernardo vero, & Cardinali, & Principe digniſsima. Vidimus tuam præteritam vitam: ab ea nihil humile: nihil obſcurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inuſitati exempli, noui generis exſpectantur: quæ, tu, ne à te ipſo diſſentias: magna ex parte præſtabis; atq. adeo iam præſtas, bonis viris, & eruditis beneficentia ſubleuandis, quorum ex ingenijs non dubito: quin quotidie aliquid efloreſcere tuo beneficio videas: quod quia præclarum eſt, exemplum: alij ſequentur. Atq. ego quidem huſce animi mei non obſcurum, vt opinor, argumentum hunc libellum, qui me tacẽte apud omnes gentes loquetur: tibi compoſitum ad te deſero, volo æternum exſtare monumentum. Vnde homines: quid de te ſenſerim: quid iudicauerim, intelligant: Volo habeas ipſe munus à me, vnde quid tua cauſa velim, conijcias: & maiora cum ornandi tui maior aliqua facultas, exſiſtet, officia, ſtudiaq. exſpectes. Equidem habeo non voluntatis modo teſtem. Verum etiam ſtudij atque beneuolentiæ auctorem in te

mea

meæ hominem honoratum atq. omni Vrbanitatis genere excultũ, tũ vero omniũ, quos ego in vita viderim humaniſſimum, Illuſtrẽ d. Valeriũ Manrichum mihi arctiſſima amicitia, & neceſsitudine deuinctũ, qui te amat egregie, facitq; plurimi, tuasq. laudes vtraq. manu ad aſtra ſæpe tollit. Verum ego, non id ſolum ſpecto, mea vt vni tibi pateat obſeruantia, illuſtrabo eam, ſi potero, meis aliquando ſcriptis, & omnibus gentibus tot tantasque virtutes patefaciam. Interim hæc carmina ad te defero, veluti pignus, & obſes amoris erga te mei, quibus ſi locum dabis inter ea, quæ ab oculis tuis abeſſe non ſolent, vigebit apud te noſtri memoria, quoties ea videbis, toties tibi occurrã, adero tibi abſens tacitus ſæpe tecum loquar, meq. eſſe de tuis familiaribus vnum de ijs maxime, qui operam tibi aſsidue præbent, qui tuo potiſsimum honori ſeruiunt, exiſtimabis, quod vt ita ſit vehementer opto. Vale, & me ama. Romæ Idibus Iulij 1599.

DE EMANVELIS CONSTANTINI LVSITANI LIBRIS

IOSEPHI CASTALIONIS CARMEN.

QVEM Luſitanis egreſſum finibus olim
Maxima Roma virum florentem laude diſerti
Excepit; gremioque fouet; mirata benigno
Carmine mortales, cæleſtes carmine ſedes
Proſequitur, conditque Dei præconia vates.
Idem liberior numeriſque ſolutior idem
Nectareæ celebrat fœlicia rura Materæ.
Et Luſitani ter Magno iura Philippo
Addicit Regni, Regemque extollit ad aſtra;
Eloquijque decus ſcriptor ſibi quærit vtrumque.

IOSEPHI CASTALIONIS HENDECASYLLABI

IN EMANVEL CONSTANTINVM LISITANVM.

QVæ vix ſingula ſingulis dediſſe
Conſtantine ferunt patres Mineruam.
Hæc vni tibi contigiſſe cuncta
Gratantur fœlices Remi nepotes.
Nam ſeu magnificum tonas Philippum;
Arpini decus æmularis oris.
Seu laudes ſuperum canis, virumque;
Et certo pede vincta verba pangis.
Daphnæam tibi comparas coronam.
Et caſtis elegis refers Tibullum.
Res, & tempora ſeu ducum recenſes;
A criſpo propius te abeſſe remur.
Seu rerum iuuat explicare cauſas
Et certamen inire diſputando
Doctas in latio locas Athenas.
Luſitania ter quaterque fœlix;
Emerſit decus vnde tale nobis.

AD

AD ILL^mum, ET REVER^mum PRINCIPEM
ET DOMINVM ATQ. DOMINVM MEVM.

BERNARDVM CARDINALEM
DE SANDOVAL
Archiepiſcopum Toletanum.

HESPERIÆ Bernarde decus tutellaq. rerum;
Quem merito CLEMENS donauit honore galeri;
Te quoque Romulei decus immortale Senatus
Flammifero quacumque diem ſol exerit axe
Fama canit; laudeſque tuas ſuper æthera tollit.
Illa quidem magni titulos, & clementis honores
Immenſum properat late diferre per orbem.
Et modo torpentes boreali frigore terras
Peruolat; æſtifero lybyæ modo proxima cancro.
Arua tenet; meritiſque implet præſtantibus Vrbes.
Eſſe neget poſt hac meritis ſua præmia nemo;
Qui te cannitiem roſeo velare galero
Nouerit, æternæ conſcriptum patribus vrbis.
Quo non in terris maius nec ſanctius vllum
Concilium, vnde orbis legitur, cuſtoſque parenſque;
Qui regat Imperio terras, qui Tartara claudat;
Et referet nutu portas ſtellantis olimpi.
En redeunt noſtro ſaturnia ſæcula mundo;
Paxque animis iucunda viget, demiſſaque cælo

Læta

Læta tuos ingreſſa lares, tua ſplendida tecta
Incolit; ô noſtri lux fulgentiſſima ſæcli.
Hoc tantum tibi vita decus tranſacta per omne
Virtutum ſpecimen peperit, te hoc culmine celſo
Palladiæ ſtatuere artes, moreſque decori.
Nam ſimul, ac lingua humanas inflectere voces;
Paruulus, & dubijs cepiſti inſiſtere plantis;
Ilicet; Æthereis ingens tibi fulſit ab aſtris
Ingenium, excelſos iuueni ſpondebat honores.
Ergo alacri ſtadium curſu iuuenile capeſſens;
Æquales (mora nulla) omnes, qui tramite eodem
Tendebant ardore pari, præuertis, & ipſos
Deſeris infirmos ſpatijs æqualibus annos.
Iamque per effuſos volucrem facundia campos
Te rapit, & linguæ tonitrus fulmenque cientem;
In quaſcumque velis partes impellere corda
Dura docet; iam naturæ ſecreta parentis
Alta ſubis, & celſa poli conuexa pererras.
Vnde tot in lucem formæ, tot ſemina rerum
Exurgunt, dulciſque fluunt primordia vitæ.
Nec minus interea creſcentibus adfuit annis
Integritas, moreſque pij, non tanta pudoris
Gloria ſeruati Etruſcum comitatur Ephebum;
Qui roſeos pulchro fædauit vulnere vultus.
Non Pandioniæ talem ſenſiſtis Athenæ;
Impia Theſidem damnantem vota nouercæ.
His tua ſe gradibus laudum prima extulit ætas;
Hunc puer inſtiteras callem, cum plurima pubes
Præcipiti in vitium ſenſus raptatur ab æſtu.
Aſt vbi progreſſæ vires, & firmius æuum

Addi-

Addidit ingenio robur; tunc pectore in imo
Sancta tibi æternos ſapientia ſeuit honores.
Illius incenſus flammis noctemque diemque
Inuigilas ſtudijs cçleſtibus; omnia donec
Abdita diuinis luſtras myſteria ſacris.
O dulces animæ curæ, ò ſincera laborum
Gaudia, quæ ambroſijs mortalia pectora ſuccis
Paſcitis, & veros cæli inſpiratis honores.
Hic tibi tergemini natura immenſa Tonantis;
Hic ſuperum patuere chori, patuere ſalutis
Arcana humanæ; ſacrique ex ordine ritus;
Et promiſſa animis in cçlo præmia iuſtis.
Magnus ad hçc voluens vigilãtia lumina Clemẽs;
Arbiter humani generis, qui lege ſeuera;
Italiç peperit felicibus otia terris;
Te Roma ad ſummos plaudente euexit honores.
Debita nunc meritis magnis; tibi debita fulget
Purpura; magne tuus reſplendet murice vertex.
Romuleæ feſtis collucent ignibus arces.
Maxima concipiunt Romanæ gaudia gentes.
Cum tua diſtineant Princeps tot pectora curç;
Totq. obeas tam magna; tamen non hactenus vllus
Aut tua colloquio excluſus faſtidia carpſit;
Aut licet in vacuas ſpes irrita ceſſerit auras;
Optauit, ſtudiumvè tuum, mentemque benignam.
Fœlix quæ genuit tellus te, patria; Fœlix
Ante alias; fœlix vrbs tua magna Toleti;
Diuinum te nacta ducem probitatis & æqui;
Gaſparis illa quidem poſt triſtia funera ſemper
Muricis amiſſum ſacri lugebat honorem;

Nec miſeræ ſolamen erat; quod proxima circum
Omnia mirandis præcelleret opida donis.
Diues agri, fæcunda virum; præclara Mineruæ
Artibus, inuicti ſtudijs celeberrima Martis;
Obuerat nam cuncta dolor; ſed luce repente
Fulgoris diſcuſſa tui; fugere per auras
Nubila curarum, verſique in gaudia luctus.
Teſtis inaurata decurrens aurifer vnda
Eſt Tagus; & latis ridentia floribus arua;
Teſtis amor populi concors; & plauſus, & vrbis
Publica pro cari paſtoris vota ſalute;
Eſt fœlix ſitque illa diu, ſed munere ſummi
Præcipue cumulata Dei pulcherrima Roma;
Cui priſci virtute tua redduntur honores.
Quæ decus ingenij, cultæ quæ flumina linguæ
Aurea te propter veteri non inuidet æuo.
Tempus erit venientque dies labentibus annis
Cum templum Petri; & Romana Palatia lætus
Intrabis, triplici cinctus Diademate frontem.
Iura dabis populis, rutila quos lampade phæbus
Luſtrat; & Oceanus liquidis circumfluit vndis
Tunc mihi pierij nemoris penetrare receſſus
Caſtalioſque auide latices haurire licebit.
Audiat vt claros merito me vate triumphos
Gens quæcumque iacet gemino parrecta ſub axe;
Qua Tartheſiacas Titan ſe condit in vndas;
Qua rubet orta dies; & qua ſub ſidere cancri
Æſtuat ardenti tellus damnata vapore.
Quæ vigil obſequio peragis nunc iuſſa fideli;
Sollicito alterius trades obeunda labore.

AD

AD ILLmum, ET REVERmum PRINCIPEM ET DOMINVM ATQ. DOMINVM MEVM BERNARDVM CARDINALEM DE SANDOVAL

Archiepiſcopum Toletanum.

FAnigeras quis paſcit oues ad fluminis vndas?
Quæ reliquis gregibus grandius vber habent?
Bernardus Princeps; cui crines infula nectit;
Hic paſcit fuluus qua rigat arua Tagus.
Paſcit oues; noctesque vigil traducit in aruis;
Et ſeruat timidæ ne rapiantur oues.
Heu quæ cura gregum; parti quæ cura peculli;
Non ſunt hæ pecudes præda ferenda lupo.
O fœlix pecus; ò Paſtor; cuſtodia fœlix;
Sub cuius baculum neſcit abire lupus.

Aliud ad eumdem Illuſtriſſimum.

VNdiſono ſæui luctentur in æquore venti;
Vt fronte aduerſa bella cruenta gerant,
Carbaſa pandamus Zephiris; animoſa feratur
Noſtra procelloſis fluctibus acta ratis;
Cum noſtram Princeps certo moderamine puppim
Bernardus regat, en; littora tuta petit.

Ad eundem Illuſtriſſ. Principem.

NAuis vt in pelagus magis eſt delata profundum;
Plus timet; & cælo cingitir atque mari.

Æquora ſic ego nunc laudum ſpatioſa tuarum
Velificans, tumidis vndique iactor aquis.
Nec ſpes optati potiundi littoris vlla eſt,
Oceani metas quis penetrare poteſt?

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM.

Ode.

AD DEVM OPT. MAX.

Contra immaniſsimum Turcarum Tyrannum.

QVis pater ô terræ & ſummi moderator olimpi;
Rex vtriuſque poli?
Quis queat Europæ? quis lamentabile vulnus
Commemorare Aſiæ?
Quis queat Ægypti lachrymis ſine pandere caſus,
Argolicęq. plagæ?
Argiui Rex Turca ſoli, pandionis arces
Imperio premet hic?
Hic Agamęnonias ſæua ditione Mycænas
(Proh dolor) obtineat?
Solus ſit vaſti, ſolus pauor orbis Eoi;
Turca tremor populi?
Hunc tremit Ægyptus; captiuaq. Memphis odore;
Seruiat huic oriens?
Poſſideat ditem Eois Babilona triumphis;
Armenięq. ſitus?
Æqnora dent curſus, deducant lintea venti;
Dent aditus gladij?
Proh dolor hic ſolus ponto dominetur aperto;
Horribiliſq. ruat?

Turca

Turca ferox toties noſtrum ſic conterat orbem;
Aſt vbi dextra potens?
Siccine non illum montes, non alta vetabunt
Æquora, non pelagus?
Claſſe teget fluctus, indignanteſq. profundo
Sollicitabit aquas?
Huic Rhodos infelix parebit? ſancta Sionis
Templa domuſq. ſacræ?
Et Conſtantini noſtras impune per arces
Sceptra ſuperba ferat?
Danubium condet ratibus, dominabitur Iſther,
Pannoniæq. loca?
Claſſibus Euboicos fluctus, & nauibus æquor,
Conteget Herculeum?
Iſther eum dicet dominum, ſeptenaq. Nili
Flumina non renuent?
Præcipiti quot ſe tulerit fera bellua curſu
Omnia diripiet?
Seruiet huic vaſto quæ cingitur æquore terra;
Collaq. nota dabit?
Quis referat, quantas infelix græcia clades
Videt atque tulit?
Te latet, & ſæuis ſemperq. fauentibus annis
Irruat impauidus?
Quam ferus inſultet, totumq. feratur in orbem
Vltima Turca minans?
Vt ſæpe vndantes rubuerunt ſanguine campi,
Viua facta fuit?
Flamma Corinthiacas vaſtauit feruida turres;
Theſalicaq. loca?

Aruit

Aruit & diris potus ab hoſtibus Hœmus
Proxima quęque palus?
Quæ deuaſtantis ſuperet gens inſcia ferri
Libera quæue minis?
Qui mare, qui terras, nutu qui concutit orbem
Aereosq. globos?
Perfida crudelis tantoq. imbuta cruore
Contere tela ducis?
Quid Deus alme paras? quem nam iuſtiſſima tellus;
Ira modum inueniet?
Da veniam miſerere pater quantum fuit hauſtum
Sanguinis ipſe vides?
Supplitia & ſcelerum pœnas expẽdimus omnes;
Verbere plura paras?
Te moueat fuſi toties vindicta cruoris;
Lumina flecte pia.
Excute qui radiant noſtris ceruicibus enſes;
Horrificamq. feram.
Cur oculos miſeris Europæ vertis ab oris
Finibus atque Aſiæ?
Fulmina iam Turcæ quatiant in caſtra; furentis
Sidera cuncta poli.
Cauſa mali tanti duroque potentia noſtri
Concidat enſe ducis.

A D

AD ILLmum PRINCIPEM BERNARDVM CARDINALEM DE SANDOVAL

ARCHIEPISCOPVM TOLETANVM,

De Regina Iſabella Luſitana Ieiunijs, & Infantia.

DVM Regina potens vitales caperet auras;
Dum tereret vitæ limina prima ſuæ.
Dumque vagos ætas annos ſuper adderet annis;
Seruaret caſti iuraque ſancta thori.
Se lautis Epulis dulci ſe nectare priuat;
Conficit, & duro mollia membra gelu;
Ergo Dei vultu merito ſatiatur; & alta
Regna colit ſuperum, neſcia Regna famis.

AD FLVMEN MVNDAM.

QVid petis Eliſabeth violento Munda ſepulchrũ
Impete? quid craſſas gurgite voluis aquas?
Virgineos rapido quid terres flumine cætus?
Quid ſolitum nobis turbine claudis iter?
Parce precor, curſuque ferox moderantius vrge;
Nam tegit Eliſabeth quem petit oſſa lapis.
R. Munda quidem dicor; ſed pleno ſordibus alueo
Numinis officium non bene ſeruo mei.

Cernis vt immundo ſqualent ſata proxima cœno,
Vt fluit obſcuro pinguior vnda vado.
Quantos ingeſtæ cumulos attollit arenæ;
Vt bene ſudatas quam male perdit opes.
Idcirco immundus domine peto munda ſepulchrum;
Namq. ſemel tacto marmore mundus ero.

De pace quæ naſcente Regina facta eſt inter eius Patrem & Auum.

FRaterno Heſperij ſtagnabant ſanguine campi;
Cornigerumq. rubris flumen hiabat aquis.
Horrida cognatis prodibant agmina ſignis,
Nec vetus in veteri lumine ſtabat amor.
Aſt vbi Cæſareis Iſabella eſt gentibus orta;
Mox redit; & veteri lumine ſedit amor.

AD MONDAM.

ARmenios inter colles rupeſq. Niphatis;
Luſitat Euphrates flauaq. prata rigat.
Iſther ouans Scythiam nigram fœcundat arena;
Heſperiam ditat diuitiis vnda Tagi.
Nilus in Ægypto ſeptena per hoſtia currit;
Gemmiferis Ganges nobilitatur aquis.
Feruidus Alpino Rhodanus deſcendit ab ortu;
Romuleas arces Tybridis vnda beat.
Luxuriat Xanthus Symois, Pactolus, & Hebrus;
Lydius auriferis in mare fertur aquis.
Hi fluuij nunc Munda tibi clariſſime cedunt;
Namq. colit ripas Eliſabella tuas.

DVm tollit ſublime caput Tagus alta repoſcens;
Ecce venit tumidis Monda ſuperbus aquis.
Tum Tagus hęc; fama celebris ſum; clarus, & ingens;
Nobilis, & largo munere diues, ait.
Indus enim Gangeſque ſimul mihi dona miniſtrant;
Non tibi Monda ſuas ſed mihi Rhenus opes.
Ad ripas vbicumque meas procul emicat aurum;
Aſt odium cunctis gimnit arena tua.
Monda autem viridi velatus arundine crines;
Inſuper hæc; tantum quid Tage tollis aquas?
Monda ego ſum clarus, multo te clarior amnis;
Ditior audaci nobiliorque Tago.
Cede ſuperbe mihi, ſatis eſt, quod ſancta recondi
Maluit ad ripas Eliſabetha meas.

De contemptu diuitiarum Reginæ *Eliſabellæ.*

CEu fretra præcipites miſcent vbi cærula venti;
Et magna tumidæ mole trahuntur aquæ.
Omnia mercator medias eiectat in vndas;
Vt vacua ſaltim naue reuiſat humum.
Sic Auſtris miſeram quaſſantibus vndique vitam;
Humanas agitent cum mala multa vices.

AD EAMDEM REGINAM.

INter ſplendentem cæli veneranda Senatum
Eliſabet claro ſanguine clara nites.
Viciſti mundum tua neſcit gloria vinci;
Iam tibi dant victas tartara nigra manus.
Victrix ſancta micas radiorum ardente corona;
Palma manus ornat, pectora verus amor.
Vicit amor Chriſti victori cedite victæ
Diuitiæ, ſolium, purpura, nomen, honos.
Hic ſanctæ clarum Reginæ incenderat ignis
Pectus, in æthereas extuleratq. plagas.
Hoc potuit mundi tenebroſa per ęquora vectus;
Litoribus ſuperis applicuiſſe ratem,

AD EAMDEM REGINAM.

QVæ nitidi quondam petijſti culmina cæli;
Vnde dabis Regno munera larga tuo.
Oſſa cubant tumulo miris fulgentia ſignis;
Ad quæ confugiunt corpora preſſa malis.

DE ANIMI MAGNITVDINE REGINAE.

DEſpicis Heſperiæ ruitura palatia terræ;
Appetis æternæ candida regna domus.
Lyſiadum proprio vacuatur pondere Regnum;
Regia cælituum nobile ſentit onus.

AD EAMDEM REGINAM.

SÆpe nocens liquidum corruperat aera peſtis;
Hic vbi virtutis ſtant monumenta tuæ.

Mem-

Membra hominum longo torpebāt capta veterno;
Et grauis in toto corpore febris erat.
Scindere nec tetro ſalientes ſanguine venas;
Proderat aut medias applicuiſſe manus.
Tu Regina tamen noſtrum miſerata laborem;
Seruaſti votis credita tecta tuis.

AD EAMDEM REGINAM.

QVis tibi ſceptra manu varijs decorata lapillis
Eripuit? ponens vellera? nunquid amor?
Quis te diuitias (quarum ſitis arida multos
Diſcrutiat) fecit ſpernere? nunquid amor?
Quare age fare tuum voluiſti temnere Regnum?
Omnia me Chriſti ponere fecit amor.

AD EAMDEM.

CLauditur hoc tumulo generoſo ſanguine creta;
Gloria Lyſiadum contumulata virûm.

AD EAMDEM.

COnditur hoc claro clarum diadema ſepulchro;
Vertice quod clarum; clara ſepulta facit.

AD EAMDEM.

PAuperibus plantas Regina quot inclita lauit?
Fecit quod Dominus fecerat ante ſuus.

AMORE ERGA DEVM.

VNus amor Domini Regalia viſcera tangit;
Vnus amor tutam monſtrat ad aſtra viam.
Vnus amicitias hominum contemnit; & altum
Aſtrorum Regem diligit vnus amor.
Vnus amor ſemper ſuperas aſpirat ad auras;
Omnia vana ſolo deſpicit vnus amor.
Vnus Auernalis crudelia bella Tyranni
Sternit; & ad ſuperos euolat vnus amor.
Vnus olimpiacas alacer conſcendit in oras;
Sydera ſub pedibus calcat, & vnus amor.
Denique ſi tantus te terris alligat vnus;
Sancta magis cælo te religabit amor.

AD REGINAM ELISABELLAM.

CLara Reginæ ſtupeo beatæ
Geſta diuinò celebranda ritu;
Mente, quę firma dominans caducos
Spreuit honores.
Illa ſe puro domino dicauit
Corde Regales; celebreſque cultus
Sponte contemnens, remouensque ſceptra
Regia longe.
Subditis mitis, miſeris leuamen;
Pauperum mater, requies laborum;
Inclyti quærens animo virili
Regna Tonantis.

Illa fulgentem repetens olimpum;
Cælitum turmas, ſuperumq. claras
Cogitans ſedes, referebat almum
Pectore Chriſtum.
Maximis tandem meritis nitentem
Cum iam cæli potuit ſubire;
Vnde ſublimis facilisq. noſtra
Regna tuetur.

DE MORTE ET VITA REGINAE.

SI moritur; cur celſa poli ſuper atria viuit?
Si viuit; gelido cur iacet in tumulo?
Non mirum; Eliſabeth terris ſi mortua viuat;
Quæ vixit mundo mortua; viua Deo.

DE MONDAE NOBILITATE.

NObilis Euphrates, Ganges, Tagus, Iſther, Iber;
Nobilis Hybernis Durius auctus aquis.
Monda per Herculeos attollens cornua campos,
Nobilior dominæ nobilitate ſuæ.

AD SEPVLCHRVM REGINAE.

QVid tegit hic tumulus? qd marmore clauditur i-
Iſta quid ingenti machina mole tegit? [illegible]

REGINA VIATORI.

DIc age ſollicitus miſero quid quæris in orbe?
An te cur mundi præmia falſa mouent.
Non mihi crede ſalus non eſt ſolamen in illis,
Omnia præcipiti ſunt peritura die.

AD REGINAM ELISABETH.

LVmina corporibus viuens amiſſa dediſti;
Mortua nunc cæcis mentibus illa dabis.

REGINA VIATORI.

QVid ſatauras inhians Indæ teſtudinis aulas?
Quid titulos lector ſigna potentis amas?
Ah quater, ah quoties Rex es felicior, inquis;
Ah quanto melior ſors tua ſorte mea eſt.
Diſce meo exemplo; Regales diſce paratus
Temnere; de rebus ſit tibi cura pijs.
Hoc vbi præſtiteris ſubeat tibi dicere certe;
Debentur meritis præmia magna meis.
Talibus acceptum domino te moribus eſſe
Credas; & melior ſors tua Regis erit.

IN LAVDEM REGINAE
ELISABETHAE.

CErberus Alcidæ magnum peperiſſe triumphum
Fertur, cum collo ferrea vincla tulit.

Attamen Alcidæ magnum clarumq. trophæum;
Quis vita & factis te ſuperare neget?
Cum tibi; qui terrent mortalia pectora bellis;
Tres ſint perdomiti Marte potente duces.

FINIS.

ROMAE,

Apud Nicolaum Mutium. 1599.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE